

MATTHIÆ FLACII

LIBER

DE PRIMATV PETRI, AC PER
hunc Pontificis Romani in Ecclesia Christi
commentitio.

I. JOANNIS 2. V. 22.

Antichristus est is, qui negat IESVM esse Christum. Id Papa facit, nam adimit Domino IESV regnum & sacerdotium, quæ Melchiæ officia sunt. Sacerdotium ei adimit, dum alios Doctores vult audiri, alios pro eo in terra substituit Sacrificulos, & in cælo mediatores. Regnum ei abrogat, dum hic in terris ipse vult esse caput Ecclesiæ, in cælo verò alios pro eo opitulatores, nempe Petrum, Mariam, Franciscum, &c. comminiscitur.

ANTE annos mille centum & triginta celebratum est *Concilium Chartaginense VI.* cui ducenti & decem & septem Episcopi, ac inter alios Augustinus quoque interfuerunt. Ab ea Synodo petiit Papa per Legatos & literas, ut liceret Sacerdotibus illinc ad se appellare. Item, ut ipse possit Presbyterum à latere eò mittere, qui de controversiis cognoscat, sibi que referat. Ac omnino jurisdictionem supra Africanas Ecclesias sibi concedi voluit. Id ut sibi deberi probaret, affirmavit, à Nicæna Synodo sic decretum esse. Atque ita crimen falsi patravit. Ad eam petitionem primùm respondit Synodus Africana, cum alia quædam, tum etiam, quòd nihil tale in usitatis decretorum Nicænæ Synodi exemplaribus legatur. Quare petierunt rem differri, quoad authentica Exemplaria Constantinopoli, Antiochia, & Alexandria peterentur. Allatis inde Exemplaribus, vanitas Papæ manifestè deprehensa & refutata est. Quare in posteriori responso pia ac gravi Epistola penitus Papæ petitionem negarunt, affirmaverunque, nihil tale in authenticis Exemplaribus, quale ipse citat, inveniri; nec justum esse, alias Ecclesias Papæ subiici, cum & illis Christus suo Spiritu adsit. Sed adscribam locum ex Epistola Synodi: *Decreta Nicæna inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim, justissimeque viderunt, quacunque negocia in suis locis, ubi orta sunt, finienda. Nec unicuique provincie gratiam spiritus sancti defuturam, qua æquitas à CHRISTI Sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissimè teneatur. Maximè, quia unicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ Provincie, vel etiam Universales provocare. Nisi forte quisquam est, qui credat; uni alicui (scilicet Papæ) posse Deum nostrum examinis inspirare justitiam, & innumerabilibus con-*
grega-